2

IOANN. COCHANOVII
IN NVPTIAS
ILLVSTRIVM IOAN. DE ZAMOSCIO, R. P. Cancellarii, & exercituum Præfecti:

AC GRISELDIS BATHORRHEAE Chriſtophori Tranſiluaniæ principis, et Sereniſs. STEPHANI Poloniæ regis fratris, filiæ,

EPITHALAMION.





CRACOVIAE.
Anno Domini, M. D. LXXXIII.
Idib. Iun.

Ad lyram cecinit Christoph. Clabonus
Musicus regius.

Strophe I.



I tibi, ô præſes duelli
Mars, tua eſt cordi Dione,
ſi fatigatus iaculan-
do, equitandoq; haud ſoles
Aoniamúe lyram, floresúe odoros
aut platani veteris contemnere vmbram:
annue, vt Samoſcius tu-
us quoq; poſt diuturna ſolo in
hoſtico tractata bella,
poſt tot exhauſtos labores

Antiſtrophe I.

hunc diem feſtumq; lætumq;
exigat. belli Tyrannum
cœpit infauſti ſaties,
neque criſtas iam erigit.
mœſtitia tacitus, curaq; inani
cor edit ipſe ſuum: non iam minax, non
aſper, aut tuens acerbùm:
quo domitando opera egregia
extitit tua, ô Samoſci,
per triennalis procellas

Epodos I.

belli, variamque hyemem.
vel nunc itaque
ſollicitudineque omni, et
omnibus curis tuum
exolue pectus candidum:
vt plenius, vberiusque
cœlitum acceptare poſsis
munera indulgentium.
en virgo, Bathorrhiadum
ſtirpe nobili ſata.
cui patruus rex, Daciæ princeps pater,

Strophe II.

gaudio expletura dulci
cor tuum aduenit, tuosque
recreat praeſens oculos:
venienti Phoſphoro
par, vbi clara dies ſignum ſui aduentus medio exeruit cœlo videndum.
ter beatum te, Samoſci,
quem ſuperi cumulare nouis
gaudiis ſemper ſúérunt.

tu magiſtra-

tu magiſtratus ſupræmos

Antiſtrophe II.

paceque, & geſtas duello:
tu potentis dextra regis,
hoſtium eius pernicies,
& alumnus gratiæ.
inuidet hæc aliquis: verùm labores,
excubiæque tuæ non inuidentur.
at tu iter, cœptosque curſus
indomito vrge animo, neque de-
terreare, quo laboranti
vtilem minus, Samoſci,

Epodos II.

præſtes operam patriæ:
ſeu conſilio,
ſiue iuuarier armis
machinas contra hoſtium,
arteſque, & aſſultus velit.
maioraque pluraque virtus
& meretur, & volenti
numine expectat tua.
Sed nos quoque, Muſa, viam

 ingredi

ingredi noſtram decet:
& nuptiali non abhorrens à lyra

Strophe III.

dædalum cultis Samoſciî
auribus ſonare carmen.
cernó ne? an fallunt oculi?
equidem fallunt nihil.
aureus exoritur veſper: viris lux
proſpera, ſed teneris triſtis puellis.
quid, virago, expalluiſti?
nil ab amante viro metui.
hoſticum par eſt: tibi ille
non diem, non annum in vnum,

Antiſtrophe III.

omne ſed durans in æuum,
eſt datus fatis amicus.
patriæ deſiderium
animo vir deteret
comis, amansque tui: dulces parentum
nati in amore locum iam iam occupabunt.
quos tu, vti fæcunda vitis
agricolæ ſtudioſi opera

ad viren-

ad virentem, consita vlmum,
proferes, solatio patri

Epodos. III.

ac præsidio patriæ.
hæc iam tibi ego,
nupta noua, ominor, vtcumq;
audiens non audias.
hoc vir quoque exoptat tuus:
optare te idem quoque par est.
plurium plus vota possunt,
& magis diuos mouent.
fæliciter exigite
coniuges æuum boni, et
deos fauentes semper experimini.



CRACOVIAE.
In officina LAZARI, Anno Domini,
1583.